TOMI I. PARS XV.

PILEI

ARCHI-EPISCOPI GENUENSIS

Magnæ in Constantiensi Concilio autoritatis,

Ingenua PARÆNESIS

AD

SIGISMUNDUM IMPERATOREM

Constantini Magni æmulum

DE REFORMATIONE ECCLESIÆ IN CONCILIO CONSTANTIENSI PROSEQVENDA.

FELICISSIMIS AUSPICIIS

SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI

DN. RUDOLPHI AUGUSTI BRUNSVIC. AC LUNÆBURG. DUCIS &c.

Ex antiquissimo Codice MSCto

BIBLIOTHECÆ PAULINÆ ACADEMIÆ LIPSIENSIS

recensita ab

HERMANNO von der Hardt/

Acad. Jul. Professore.

FRANCOFURTI ET LIPSIÆ

IN OFFICINA CHRISTIANI GENSCHII.

HELMESTADI, Typis SALOMONIS SCHNORRII, 1697.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

MSCt. LIPSIENSE.

* *
*

Collatio
facta
coram
REGE ROMANORUM
per Dominum
ArchiEpiſcopum JANUENSEM
in
CONCILIO CONSTANTIENSI.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

HERMANNUS von der Hardt
L. S.

MEmorabilis nec inelegans hæc *ArchiEpiſcopi oratio*, quæ publicam illius ætatis *ſpem atque expectationem* egregie pingat. Nec *affectus communis illius temporis* dilucidius atque concinnius exprimi unquam potuit. Hic vota, deſideria, ſuſpiria, ad emendationem Eccleſiaſticam anhelantium non ſine inſigni animi commotione audiuntur. Ut hiſtoriæ illius temporis, triſtium in Eccleſia fatorum, hæc ſint indicia atque teſtimonia publica, *nobilis Eccleſiaſticæ hiſtoriæ pars.*

Conſtantinum Imperatorem appoſite cum Sigismundo Cæſare comparavit ArchiEpiſcopus, pro magna ingenii ſui ſolertia. Sane uti *Conſtantinus* rem Chriſtianam inſtruxit, ita & *Sigismundus* collapſam reſtaurare anniſus. Uterq; non ſine omine *in cruce* ſpem poſuit. Conſtantinus, *in vexillo* Chriſti *crucem* ſ. lemq; referens, quam fatorum regulam conſtituiſſet, teſtatus eſt. Sigismundus *urbis Conſtantiæ inſigni, eadem cruce*, novis â ſe coloribus atq; decoramentis ornata, quam *emendationis Chriſtianæ normam* ſibi præfixiſſet, re ipſa declaravit. Ita *Conſtantinus in cruce victoriam* quæſivit, & *Sigismundus per crucem conſtantienſe ad victoriã* adſpiravit. Ut nominis ſui vim uterq; impleret.

Ceterum ſingulare eſt, quod ArchiEpiſcopus priſcum memoret *Concilium Conſtantienſe*, ab *Imperatore Henrico III.* ſeculo undecimo magna cum gloria celebratum. Ex quo inſolita & incomparabilis *pax Conſtantiæ*, ab Imperatore Henrico condita, illuſtre nomen ſit indepta. Non quidem adeo frequentes ſunt hiſtorici, qui præclari hujus *Concilii Conſtantienſis antiqui* meminerint, ac res in eo geſtas diſtinctius commemoraverint: ArchiEpiſcopus tamen noſter, non plane omnibus deſtituitur teſtibus. Conſpirat *Johannes Dorre*, Vir doctiſſimus, curioſiſſimus Actorum Concilii Conſtantienſis noviſſimi, cui intererat, ſcriptor atque collector; Qui *Tomo IV. Actorum fol. 67. Codicis MSCti Vindobonenſis*, de *prima* illa & veteri *Synodo Conſtantienſi* ita ſcribit: *Anno Domini* M XLV. *Henricus tertius, filius Conradi Imperatoris, anno quinto regiminis ſui, Hungaris devictis & ſibi ſubjugatis, reverſus de Hungaria Synodo Conſtantienſi affuit. Ubi cunctis, qui deliquerant in ſe, debita dimiſit. Omnibusq; inimicitiis deſtructis pacem hactenus inaudi-*

tam, tam in tota Suevia quam in aliis regni sui provinciis per edictum regiæ censuræ confirmavit. Unde venit lex condita de pace Constantiensi.

Consentit *Engelhusius* in Chronicis suis. Cujus verba, tam in Codice Maderiano quam MSCto nostro obvia, hæc sunt: *Rex, sicut erat homo discretus, collecto exercitu venit Constantiam. Ubi Synodo Principum pacem hactenus inauditam statuit, & per edictum, sicut Conradus inceperat, confirmavit. Ubi histrionum collegium, quod ut assolet affluxerat, vacuum abire permisit, pauperibus Christi ea, quæ membris diaboli subtraxerat, largiendo &c.* Ex quibus & hoc intelligitur, non Synodum illam fuisse Ecclesiasticam, multo minus œcumenicã, sed *Comitia Imperialia.* Quanquam animus Cæsaris religiosus *facinora* ibi confecerit, *sacra & religiosa* merito dicenda. Qui & *Pii* nomen publice ferret, Engelhusio teste: Quiq; & post *Comitia illa Constantiensia* ita exercitum suum reformavit, ut 2000 meretrices in fugam agi juberet, memorante Engelhusio.

Non autem vacat hic inquirere, an *Comitia* illa *Constantiensia* ab Henrico III. seculo undecimo fuerint celebrata, inq; illis laudata *Pax Constantiæ* condita, an ad seculum potius duodecimum, & *Imperatorem Fridericum I.* referre oporteat tum Comitia illa, tum decantatam *Constantiæ Pacem.* Quod posterius alii observant, mutatis tamen circumstantiis. In quibus *Nauclerus, Volumine II. Chronicorum, Gener.* 40. *fol.* 862. ad An. 1183. *Fridericus, jam bellis fatigatus, Longobardis omnibus condixit curiam apud Constantiam, ubi principes & potestates eorum se repræsentarunt, & pacta quædam de faciendo servitio Imperatori de singulis civitatibus Longobardiæ ibidem statuta sunt. Vocaturq;* pax Constantiæ. *Quam hodie tenent in scriptis, quam & Baldus commentatus est. Ea sic legitur: Imperialis clementiæ mansueta Serenitas &c. Ubi etiam nomina civitatum referuntur, quæ pacem juraverunt, tenorq; juramenti est talis: In nomine Domini juro ego N. quod amodo ero fidelis domino Imperatori Friderico, ejus filio Regi Henrico: Non ero in consilio vel facto, quod ipsi perdant vitam vel membrum aut mentem seu coronam Imperii vel regni sui, seu capiantur: Vel si scivero aliquem fecisse vel facere volentem, per me vel per alium domino Imperatori vel [illegible]gi vel nuncio ejus sine fraude manifestabo, & eum adjuvabo. Insuper pacem Domini Imperatoris Friderici, & filii ejus regis Henrici & sua partis, factam cum societate Lombardia, sicut scriptum est, & inde sine fraude infra quindecim dies post, & jurata bono intellectu & sigillo Domini Imperatoris sigillata, observabo bona fide & sine fraude. Et hoc jurare faciam omnes masculos mecum habitantes, à 16. annis & supra usq; ad 70. infra 15. dies, postquam juratum habuero, exceptis servis: Et qui per me jurare noluerint, infra tertium diem Imperatori vel Regi vel suis nunciis per Breve manifestabo. Acta sunt hæc anno Dominicæ incarnationis* 1183. *regnante Friderico, Imperatore Rom. gloriosissimo, anno regni ejus trigesimo secundo, Imperii vero* 29. *Datum apud Constantiam.* Quo abit & inclytus JCtus *Schilterus, in Institut. Juris publici Romano Germanici, lib.* 4. *tit. ult.* §. 47. *p.* 459.

An vero ab utroq; Cæsare, *Henrico III. & Friderico I.* utroq; seculo, XI. & XII. utraq; *Comitia Constantiensia* celebrata, & gemina in illis *Constantiæ pax* parta, viderint alii quibus vacat. *Engelhusii* in Chronicis hæc est traditio. Qui enim Henrico III. & *Synodum Constantiensem* & *Pacem Constantiæ* tribuit, ut vidimus, *Friderico I.* simile adscribit Constantiense Concilium, his in MSCto æq; nostro ac Maderiana editione usus verbis: *Fridericus I. filius Friderici Suevorum Ducis, qui frater erat Conradi præcedentis, imperat annis* 37. *largus, strenuus & in omnibus gloriosus. Concilium celebravit Constantiæ, pacem faciens per Almaniam & concordiam inter se & Eugenium Papam.*

Aliis hæc discutienda relinquimus. Damus *Orationem Archi Episcopi*, prout in *MSCto CODICE BIBLIOTHECÆ ACADEMIÆ LIPSIENSIS* deprehendimus. Suffecerit, luculenta hac oratione par pro salute publica studium in *Henrico* III. vel & *Friderico I.* ac *Sigismundo Imperatoribus* commonstrari, qui pacem atq; incolumitatem publicæ rei *Constantiæ* pararint.

PILEI

PILEI
Archi-Episcopi Genuensis
magnæ in Constantiensi Concilio autoritatis,
INGENUA PARÆNESIS
AD
SIGISMUNDUM IMPERATOREM
CONSTANTINI MAGNI ÆMULUM
DE
REFORMATIONE ECCLESIÆ
In Concilio Constantiensi
prosequenda.

Ex antiqvo MSCto BIBLIOTHECÆ PAULINÆ LIPSIENSIS ACADEMIÆ.

Constantini Imperatoris somnium memorabile.

SIcut vera narrat historia, SERENISSIME PRINCIPUM, *Invictissime Domine*, *Constantinus* adversus Maxentium bellum parans vidit per soporem in cœlo *signum crucis* flammeo nitore rutilare, & Angelos sibi assistentes ac dicentes: CONSTANTINE, IN HOC VINCE. Licet Eusebius dicat, Constantinum prædicta verba vidisse in scriptura, conserta circa prædictum signum crucis.

Constantini Imperatoris labarũ.

Ex quo *Constantinus crucem in vexillo militari* depinxit. Et sic paratus contra Maxentium processit.

Vexillum Constantini triumphantis.

Qvo in flumine demerso, *Constantinus triumphans* Romam ingreditur. Et cum ob honorem triumphi imagines illi Senatus erigeret, ipse *vexillum sanctæ crucis depingi fecit*, & subter ascribi: *Hoc est invincibile signum Dei vivi.*

Hunc Ambrosius, Gregorius, & multi alii dicunt esse magni meriti apud Deum: Qvia *primus Imperatorum* viam fidei & devotionis Principum dereliqvit.

Comparatio Sigismundi ac Constantini Imperatorum.

Qvæ verba, sive per Angelos nunciata, sive in scriptura conscripta, Tibi, *GLORIOSISSIME PRINCEPS & Domine noster*, existimo convenire. Ut merito dicam: *CONSTANTINE, IN HOC VINCE.*

Te enim digne in hoc *Constantinum* dici posse, video, *imitatione, loco, & virtute.*

Constantinum enim multipliciter *imitaris.* Dum, sicut ille, *fide ac devotione* præpolles.

Concilium uterque convocavit.

Dum, sicut ille in Synodo *in Nicea Bythiniæ* congregari fecit xxx. Episcopos: Ita tu *in Constantia Germaniæ* fecisti, ac facis: Tanto amplius: Qvod *in illo* pro Apostolico interfuerunt Vitus & Innocentius, Romanæ Ecclesiæ presbyteri: *In hoc* autem tua solicitudine, cura, tuisqve precibus *ipse Apostolicus adest*, adest & *sacrum collegium.*

Dum, sicut illi prima die sui baptismatis Apostoli Petrus & Paulus apparuerunt, *tibi* opinor *ipsam apparere divinitatem*, & gratiam prævenientis Altissimi, quâ illustratus tam efficaciter & prudenter *divinis insistis operibus.*

Edicta pro Ecclesiæ salute uterq; Imperator concepit.

Dum, sicut ille in laudem & gloriam Dei, & Ecclesiæ Sanctæ propagationem & commodum, I, II, III, IV, V, VI, VII, VIII, IX. sucessivis diebus *nova fecit edicta*, nova concessit privilegia, ac sicut de illo scribitur, *honorem cleri tuebatur in omnibus*: Ita, tuæ gratia majestatis *per dies singulos cogitas, disponis & agis ea*, quæ si perficiantur, majus & melius beneficium in obseqvium Ecclesiæ præstiteris, ac populo fidelium gratiorem & *utiliorem rem* egeris, *quam fecerit Constantinus.* Majus enim & melius Ecclesiæ ac fidelibus *donum* dari non potest,

quam *unitatis & pacis*, Angelicis vocibus super reliqua omnia commendatum.

Dum, sicut ille, insigni *humilitate & clementia* viges & vales. Unde de eo scriptum est, quod edicto publico *per totum orbem ædificari jussit Ecclesias*, collatis pecuniis affluenter ex regiis thesauris, scribens simul civitatibus, ut populus Episcopis ministraret de regali fisco, unde sanctæ perficerentur Ecclesiæ. Ipse vero legendo, scribendo & meditando se multum exercebat. Et Princeps invictus, per dies singulos fide & devotione crescens, inexplebili gaudio de Ecclesiarum profectibus replebatur.

Unde *te* quoque *imitatione Constantinum* meritò possumus nominare.

Sigismundus à Concilio Constantiensi Constantinus dicendus.

Loco etiam. Dum Romanum, summumqve Pontificem, Sacrum collegium, sacrumqve concilium, *Constantiam adduxisti*. A qua *Constantinus* merito nominaberis, si id in ea perficies, quod *Henricus III.* præclarissimæ memoriæ prædecessor tuus. Qvi de Hungaria reversus *Synodo Constantiensi* adfuit, ubi cunctis, qui deliquerant in se, debita dimisit, omnibus inimicis pacem hactenus inauditam tam in tota Svevia quam in aliis provinciis per regiæ censuræ edictum confirmavit, & natalem Domini Treveris celebravit, ibiqve omnes, qui in regiam majestatem deliqverant, crimine absolvit. Eandemqve legem, sicut prius, per totum regnum promulgavit, ut omnes delicta sibi invicem condonarent. Istaqve edicta est illa famosa & insignis pax, quæ *pax Constantia* nuncupatur. Qvam profecto hæc, quæ *hic* agitur, scilicet Ecclesiæ & totius orbis fidelium, merito & gloriâ superabit. Tu *ex hoc loco* digne *vocaberis Constantinus*.

Henrici III. Imperatoris res gestæ.

Constantiense concilium particulare sub Henrico III.

Memorabilis pax Constantiensis ab Henrico III. parata.

Restat ut etiam *virtute constantiæ* dici valeas *Constantinus*. Hæc virtus sic describitur: *Constantia* est stabilitas animi firma, & in proposito perseverans, quæ omnem virtutem circuit. Unde Valerius ad Tiberium Cæsarem: *Cur enim sic comparatum est, nisi, ut quisquis se aliquid ordine ac recta mente complexum confidit, vel jam gestum, si obtinetur, alacriter tueatur, vel nondum editum, si interpelletur, sine ulla cunctatione ad effectum perducat*. Inde in seqventibus subdit de Fulvio Flacco, quod *constantia* victoriæ quoqve gloriam antecellat. Ex qua Q. Fabium Maximum, Cn. Pisonem, M. Munidicum, Scævolam Augurem, Menium Centurionem, Blasium quendam Phocionem, Socratem, Ephialtem Syracysanum, Alexandrum Macedonium, Regem illum famosum, singulariter extollit.

In Concilio Constantiensi sub Sigismundo actum de Reformatione Ecclesiæ.

Ex qua Tu quoque usqve in hodiernum diem vere & merito commendaris. *In hoc* præsertim, quo *agitur de integritate reformationeq; Ecclesiæ. Quam usque in consummatum finem ut prosequaris, eadem virtus exigit*. Quæ, ut in Decretis scribitur, tanta est, & esse debet fidelibus, ut prius auferatur vita, quam consummatio seu perfectio recti operis.

Est autem *hæc virtus*, servare modum inter mutabilitatem seu levitatem & pertinaciam. Qvorum utrumq; reprehensibile judicatur. Mutabilitas vero dum homini inest, inesse ei judicatur stultitia, vel peccatur impatientia, vel defectu dilationis boni, aut duplicitate animi.

Arduum Concilii Const. ac Sigismundi negotium cleri reformandi.

Qvæ omnia à tua Majestate avertat ille, cujus causam & Ecclesiæ proseqveris, Dominus Jesus Christus, ac faciat, ut digne voceris *Constantinus, imitatione, loco & virtute*.

Constantine igitur *in hoc vince*. In hoc scilicet *opere dignissimo, utilissimo, desideratissimo*.

Dignissimo quidem: Qvia omnem cujusvis operis, quin etiam simul omnium operum dignitatem excellit *Opus integrationis & reformationis Ecclesiæ*, quam Deus omnipotens, æternus & immensus, sua clementissima pietate homo factus, suo pretioso sangvine dedicavit. *Opus* est itaqve *hoc divinum potius, quam humanum*. Ideoqve in Decretis describitur Ecclesia Christi, fidelium multitudo, fide & charitate unita, qvæ sponsa Christi dicitur pudica & incorrupta, extra quam salus non habetur, & à qua per schisma præcisos comprimere spectat ad Principes seculares. Et quando in ea sunt duo aut plures rectores, non est sponsa sed scortum.

Reformatio Ecclesiæ opus divinum.

Utilissimo autem, respectu animarum & corporum, non unius hominis tantum,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tum, aut unius provinciæ vel patriæ, sed *totius orbis*, cujus *universale bonum*, *summum & maximum hæc integratio reformatioq;* concernit.

Summũ ac universale bonũ Reformatio Ecclesiæ. Utilissimum opus.

Inexplicabilia sunt, SERENISSIME DOMINE, *bona*, publica & privata, spiritualia & temporalia, quot & quanta *integrationem reformationemque hujusmodi consequentur*. Sicut inexplicabilia sunt mala, animæ & corporis detrimenta damnaqve gravissima, publica & privata, quot & qvanta in diversis regnis, & pene in omnibus partibus orbis ex hoc schismate & *incompositione Ecclesiæ* conseqvuntur. Non explicare modo aut scribere, sed nec cogitare quis possit in utramq; partem, *ex integratione & reformatione quot bona*, ex schismate & incompositione quot mala proveniant.

Opus itaqve, *quod agitur*, *omnino* quævis *opera humana utilitate* sicut & *dignitate præcellit*.

Accedit, quod *desideratissimum est opus*. Hoc nunquam enim tantum tamq; *universale* cujusqvam rei fuit *desiderium*, nunqvam tanta *expectatio*, quanta hujus *desideratissimæ integritatis & reformationis Ecclesiæ*.

Desideratissimum Reformationis opus.

Ardens reformationis desiderium.

Hæc *spes & expectatio*, PRUDENTISSIME DOMINE, si perficiatur, nunqvam fuit tanta lætitia, jucunditas, exultatio in fidelibus & populo Christiano. Si, quod absit, & avertat misericordia Creatoris, *frustretur & irrita maneat*: Quis explicet, quantus *mœror*, quanta *tristitia*, quanta *confusio & irrisio ac derisio totius cleri*, quin & imperialis honoris, Ecclesiæ, ac fidei, & catholicæ religionis, specialiterqve *omnium Germaniæ Prælatorum & procerum, qui è suis manibus rem hujusmodi imperfectã labi sinant?* NON AUDEO, CHRISTIANISSIME PRINCEPS, non audeo cogitare. Avertat hunc casum, avertat clementia creatoris & redemtoris nostri.

Damna ex irrita reformatione oritura.

In hoc itaqve *opere dignissimo, utilissimo, & desideratissimo, Constantine vince*. Vince siqvidem hostes, vince difficultates, vince superiores & prædecessores tuos.

Gravis admonitio ne Reformationis negotium, in Concilio Const. quæsitum, negligatur. Reformationis à Sigismũdo instituenda fructu.

Vince quidem *hostes*, hostes *fidei*, hostes *imperii*, hostes *tui*.

In hac enim *integratione & reformatione Ecclesiæ* vinces hostes *fidei*, qui invalescunt, invalueruntqve numero magno, cum pudore & rubore Romanæ Ecclesiæ, Romani Imperii & nostri temporis, quo ipsam civitatem sanctam *Hierosolymam*, tanto fidelium cruore quæsitam, amissam non curamus, maluimusqve gladios & potentiam, quos in infideles exerceri deberet, in proximos & fideles convertere, cum tanta ignominia & injuria nominis Christiani.

Reformatio Ecclesiæ sectarum remedium.

Vinces hostes imperii & rebelles. Qvod profecto, tua pace, tua cum venia dixerim, aliter facere non poteris, nisi in *hac integratione reformationeq; Ecclesiæ*.

Reformatione Ecclesiæ imperii hostes debellãdi.

Vinces hostes tui, & detractores, quos multos tibi fecit inclyta virtus, cui semper mali & reprobi minitantur & detrahunt.

Inter quos illos præcipuos, *præcipueq; cavendos* putaverim, si qui sint, *qui ullis artibus, ullo ingenio, ullis promissis, te à sancto & recto proposito mutationis & reformationis Ecclesiæ tentant abducere, seducere vel avertere*.

Sigismũdum variis artibus à Reformatione abstrahere studuerunt.

Vince *difficultates*. Huic enim tam *grandi & optimo operi* magnas inesse difficultates oportet. Sed tua virtute superandas ac vincendas. Ne credas rem tanti meriti, tantæqve virtutis carere *insidiis*, carere *æmulis*, carere *multis laboribus*, multis *impensis*, multis *vigiliis* & dispendiis.

Difficile opus reformationis.

Et si alia desint, vigilat & cernit nunc maxime ille humani generis hostis, cui tuæ *vigilantiæ, sinceritatis, virtutis, fidei & devotionis clypeus* objiciendus est.

Vince *prædecessores tuos*. Hoc loco, ILLUSTRISSIME PRINCIPUM, commemorare possem singulorum prædecessorum tuorum laudabilia gesta erga Ecclesiam, erga summos Pontifices & sacrum collegium, *in conciliis generalibus*, & aliàs. Sed brevitas, & tua insignis peritia, cui ea omnia nota sunt, faciunt, illa nunc recensenda non esse.

Qvæ etsi multa magis sint, hoc tamen, *quod nunc agis, & quod habes in maximis rebus, majus & melius omnibus* illis est. Quod *si perfeceris, vinces* omnes, qui te dignitate hac & sublimitate Cæsarea præcesserunt, ipsos etiam *Tiberios, Philippos, Constantinos, Constantes, Jovianos, Valentinianos, Gratianos, Theodosios, Arcadios, Honorios, Marcianos, Leones, Justinos*,

Magna spes reformationis per Sigismũdum Imperatorem conficienda.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Juſtinos, *Juſtinianos*, *Anaſtaſios*, *Ludovicos*, *Lotharios*, *Carolos*, *Conrados*, *Heinricos*, *Ottones*, *Fridericos*: Et ſi aliqui ſunt, qui ullo modo, ullove nutu Eccleſiam juverint, auxerint, vel protexerint.

Conſtantine igitur, imitatione, loco, & virtute, *in hoc opere digniſſimo*, *utiliſſimo*, *& deſideratiſſimo*, *vince* hoſtes fidei, Imperii, tui, vince difficultates, vince prædeceſſores tuos. Ut *poſt* & *per* has *victorias* triumphator & victor felix aſcendas in cœlum, apud illum cœleſtem & omnipotentem Regem coronam ac ſedem perpetuam habiturus.

Elegans *Viri illuſtris* PILEI Archi-Epiſcopi Genuenſis magnæ in Conſtantienſi Concilio autoritatis AD SIGISMUNDUM IMPERATOREM Paræneſis De Reformatione Eccleſiæ In Concilio Conſtantienſi proſeqvenda, Ex antiqvo Codice MSCto Bibliothecæ Paulinæ Academiæ Lipſienſis A. M DC XCVII. d. II. Februarii in Academia Julia in lucem producta Imperatore Romanorum LEOPOLDO I.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf